







1768.

1. Hebstreit, Adamus Franciscus: *Vindiciae verivalarum pactorum successoriorum, seu iure Romano, Nam Germanico, et versus errores interpretationem.*
2. Henne, Rud. Christoph, Ord. iuricancellorum decanus: . . . *Solemnis inauguralia Comiti Christiani Zahle indicit simulque de fidejussore, liberato licet Ichthone principali, ad solvendum obligato, quædama praefatus.*
3. Henne, Rudolph. Phis: *De personis ex mandato processu in judicis agentibus.*
4. Henne, Rudolph. Christopherus, Decanus ordinis iure*cancellorum solemnis inauguralia Com. Justini Schneider, dicti Weismantel . . . indicit simulque nonnulla de spacio & judice commissa praemittit.*

5. Henne, Rudolph. Christ: Selecta quaedam de pro-  
curatoribus capite
6. Henne, Rud. Christph., ordinis iureconsultorum decanus:  
Solenaria inauguralia M. Iwanis Savorei Scholae  
similique de salutione in gravorem causam impa-  
tientia quaedam praefatur.
7. Schneider, Joannes Fridericus, dictus Weismantel:  
De cura feminarum secundum ius Saxoniam et  
statuta Erfurteria ex principiis medicis acor.
8. Schorek, Hieronymus Fridericus, Facult. iuridicae decanus:  
Lectori benevolentie s. p. d. (ad Dissertationem in ag. Ataae  
Francesi Heberlein invitata.)
9. Schorek, Hieronymus Fridericus: Lectori benevolentie s. p. d.  
(ad Dissertationem in ag. Corri Drepti Kortzelii invitat.)

10. Schorch, Hieron. Frider. : Dissertationes speciales circa iuris officiis omnium testamentorum.

11. Simon, Jordanus : Brevis juris ecclesiastici Germaniae notitia.

1769.

1. Boering, Fridericus Adoratus : De iuribus, quae manuturis et postmodis inherita successioneis competitum.

2. Henne, Rudolphus Chorographus : De jure fisci, et hypotheca facili fisco in bonis administratorum rerum fiscalium competente.

3. Schorch, Hieronymi Frider. Lectori beneres o. p. s.  
(ad Dissertationem mag. Irenii, dicti Eberhardi ineditam)

4. Schorch, Hieronymi Fridericus : De actione publicaria aduersus ipsam dominum competente.

5. Spitz, Iwanus Christph., Facult. iuris Sac Decanus :  
lectori benevolo s. p. d. (ad Dissertacionem mag. Iwanus  
Iacob. Tragutt Remotori iunctam)

6. Spitz, Iwanus Christph., Facultatis iuris Sac Decanus :

lectori benevolo s. p. d. (ad Dissertationem mag. Iwanus  
Iacob. Ralphelegii iunctam)

7. Spitz, Iwanus Christph., Facult. iuris Sac Decanus : lectori  
benevolo s. p. d. (ad Disputationem mag. Prok. Augst.  
Numerikori iunctam).

8. Spitz, Iwan. Christph., Facult. iuris Sac Decanus :

lectori benevolo s. p. d. (ad Disputationem mag. Iwanus  
Ludw. Baesing iunctam).

9. Spitz, Dr. Christph.: De iuribus donationum inter vivos.

10. Spitz, Dr. Christph.: De iurisconsulto, & jurisposito  
legalejo et tabula maxime diverso.

Pra. II. num. 6

3

1768, 3  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA.  
DE  
**PERSONIS EX MANDATO  
PRÆSVMTO  
IN IVDICIIS AGENTIBVS**

QVAM  
AVSPICIIIS DIVINIS  
INDVLTV ET AVCTORITATE ILLVSTRIS  
ICTORVM ORDINIS  
IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI  
PRAESEDE  
MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE  
MODO FACVLTATIS IVRIDICÆ  
DECANO  
DN. RVDOLPH. CHRIST. HENNE  
ICTO  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-  
SILARIO REGIMINIS ORD. ICTORVM ET IVDICI ELE-  
CTOR. PROVINCIAL ADSESSORE NEC NON CODICIS  
ET IVR. FEVDAL. PROFESSORE PVBLICO  
ORDINAR.

P. 471  
DIE XXIII. MART. MDCCCLXIX.  
*IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI*  
PRO SVMMIS IN VTRQVE IVRE HONORIBVS ET  
PRIVILEGIIS DOCTOR ALIVS LEGITIME

CONSEQUENDIS  
PVBLICÆ DISQUISITIONI SVRMITTIT  
AVCTOR  
CAROLVS CHRISTIANVS LOHDE,

IEHSE R. LVSATIVS  
CIVITATIS NEOSTADTIENSIS AD ORLAM POLYGRAPHVS,  
IBIDEMQVE IVRIS PRACTICVS,

ERFORDIÆ, LITERIS NONNIANIS, ACADEM. TYPogr.







DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

# MANDATO PRÆSVMTO

§. I.

**I**ncommoditas iuris veteris rigidi, quo alieno nomine neque agere, neque excipere actionem licet, effecit ut postea hominibus per procuratores litigare permitteretur. Nam & morbus & artas & necessaria peregrinatio, itemque aliae multæ iustæ causæ sàpe hominibus impedimento sunt, quo minus rem suam ipsi exequi possint <sup>1)</sup>. Licet ergo iure nouiori partibus litigantibus aliquem constitueret, qui pro ipsis negotia judicialia curet. Sed eiusmodi procurator, qua talis, præcise indiget mandato, adeo ut cum alias quoad negotia extrajudicialia mandatum vel expressum vel tacitum esse posset,

A



fit, in iudicio tacitum mandatum non sufficiat, sed expressum requiratur, nisi quod in casu si principalis non solus, sed comite stipatus, in iudicio comparet, huncque quod ipse expedire debebat, negotium sciens peragere patitur, quoad hunc *ynicum actum* hic procurator tacito mandato constitutus admittatur 2). Multo minus ergo regulariter mandatum, cum facti sit praesumitur, sed in iudicio expressum mandatum producendum est 3), & is, de quo constat, quod mandatum non habet, omnino non ne quidem sub Cautione Rati admittitur 4). Sunt tamen aliqui, quos & admitti oportet sine mandato vlo, quia lex illis aliena litis susceptionem permittit, dum praesumit in his personis, eas negotia Principalis fideliter ac utiliter gesturas, nec ideo Principalem diffensurum, sed potius gesta ab illis ratihabiturum esse. Practici hoc vocant: defensorio nomine item coniunctorio nomine erscheinien. De his personis ergo, qua mandato praesumto gaudent, in sequentibus agere, & theses nonnullas conscribere animus est.

1) *pr. Instit.* de iis, per quos agere possumus.

2) per *cap. 12. X. de procurat.* junct. LEYSER., spec. 53. med. 11. 12. & titto in I. Priv. L. 12. c. 1. §. 26.

3) I. 1. C. de Procurar.

4) I. 1. C. & I. 24. C. de Procurat. I. 6. §. vlt. ff. de Negot. gest. VMMIVS disput. ad Process. IX. §. 7. n. 30. & BRVNNEM. in I. 1. C. de procurat. n. 1. 2. Ord. Proc. Sax. tit. 7.

## S. II.

Personæ, in quibus maadatum praesumitur, quibusque ideo sine mandato agere permittitur, in legibus nostris 1) commemorantur haec: *Parentes, liberi, licet in potestate*

❧❧❧❧

flate sint, fratres, affines, liberti, maritus, & Consortes liris, quibus ex iure Canonico moribus adprobato acceſſerunt qui instrumen-  
ta ad causam pertinentia apud se habent 2). His vero quidam  
Interpretes, prafertim ex Veteribus, adiungere alias plures  
voluerunt, ut agnatos & Cognatos omnes, etiam Amicos 3).  
Sed perperam. Nam hoc ius singulare sine lege ad alios exten-  
di ob paritatem rationis non potest. Nunc de singulis feor-  
sim videamus.

- 1) in l. 35. pr. ff. de procurator. l. 40. §. vlt. eod. l. 3. §. 3.  
ff. iudicatum solui, l. 12. & l. 21. C. de procurat. l. 2. C.  
de Consort. eiusd. lit.
- 2) cap. 34. X. de Offic. & potestate Iud. deleg. Ordin. Camer.  
P. 1. tit. 21. §. Weiter segen 2.
- 3) preter Glosiographos vide SICHARD. in l. 12. C. de procu-  
rat. & vasqvivm illustr. Controv. V. 23. n. 7.

### §. III.

Primo itaque *parentes* 1) admittuntur sine mandato in  
causis liberorum. Parentum nomine vero veniunt adſcen-  
dentes in infinitum 2); modo tamen sint *masculini sexus*.  
Nam feminæ regulariter procuratrices esse nequeunt, 3) cum  
aliorum nomine in iudicio comparere sit officium ciuale &  
virile, nisi in paucis casibus per modum exceptionis in LL.  
nominatim enumeratis 4), extra quos merito regulam serua-  
mus. Hinc Mater pro liberis non admittitur in iudicio re-  
gulariter, & paucum scriptores pragmatici 5) hanc in senten-  
tiam iudicatum esse testantur, & similiter inclytam Faculta-  
tem iurid. Erfordiensem a. 1755. pronunciaſſe ſcio. Ipsæ le-  
ges excipiunt ſolummodo iudicium ſecundum ſeu Appellatio-

A 2

nis



nis 6), in quo matri pro filio comparere concedunt, ob periculum maius, quod hic vertitur, posset nimirum sententia abire in rem iudicatam.

- 1) l. 35. ff. de procurator.
- 2) l. 51. ff. de V. sign. CARPOV. p. I. Confl. 1. def. 29.
- 3) l. 54. ff. de procurat. 1. 18. C. cod. 1. 2. ff. de Reg. Iur.
- 4) vt si agant in rem suam l. 4. C. h. t. vel si agant pro parentibus morbo vel etate impeditis l. 41. de procurat. item in causa liberali, sed tantum pro liberis & cognatis, & si alius haberi non potest l. 31. §. 1. de Liber causa. WERNHER p. 9. obs. 81. à SANDE Decisiones tit. 3. definit. 4.
- 5) conf. RIVIN. ad O. P. S. tit. 7. Enunc. 8. WERNHER p. I. Obs. 135.
- 6) l. 1. §. fin. ff. de Appellat. recip.

#### §. IV.

Ergo adscendentes masculini sexus solummodo pro liberis ex präsumto mandato admittuntur. Sed tamen ratione patris qui liberos, pro quibus comparet, adhuc in potestate habet, multum interest in casu, quo causa peculium aduentium ordinarium concernit, an tanquam defensor filii ex präsumto mandato, an vi patriæ potestatis compareat. Priori casu cum Cautione rati (infra §. 21.) comparere debet, & tamen auctus speciale mandatum requirentes expedire nequit; posteriori autem casu in mandato präsumto initii opus non haber, sed potius omnia, etiam quia speciale mandatum desiderant, absque cautione rati recte administrat. Suo iure enim, quod ipsi leges 1) permitunt, processum dirigere potest, modo adhibeat consensum filii, si is non infans aut non longe absens sit. Quo nomine recepta in foro

foro formula est, patrem comparere in vaterlicher Gewalt, vel etiam in natürlicher Normundschaft seiner Kinder, licet hanc posteriorem formulam alii censura sua notent Dd. 2). Hinc si de qualitate agentis ex Actis non constat, non insolutum est sententiam interlocutoriam ferri: daß Kläger vor allen Dingen, ob sein Principal in vaterlicher Gewalt seines Sohnes oder defensorio nomine desselben seine Klage fortzuführen gesonnen, sich deutlich zu erklären, und auf den letzten Fall Cautionem Rati würthlich anzugehoben 3). Pro liberis vero emancipatis aut sui iuris factis item si causa aliud quam aduentit, peculum concernit, pater non aliter quam cum curatione rati admittitur.

1) vide l. 8. §. 3. C. de bonis quæ liberis, & l. 1. C. de bonis matern. quæ lex posterior declaranda est & supplenda ex priore. Nam cum in cit. l. 1. parentibus simpliciter permittatur liberorum bona vel per se vel per procuratorem defendere, & item inferentibus resistere; in cit. l. 8. *Iustinianus* patri consensum filii requirere præcepit.

2) vide BERGER Oecon. Iur. p. 169. & p. 979. Not. 1. junct. LEYSER spec. 164. medit. 1.

3) RIVIN, tit. 7. Enunc. 5.

### S. V.

Sicuti vero in Adscendentibus, ita etiam vice versa in Descendentibus 1) quoad causas parentum præsumitur mandatum. Descendentium nomine hic iterum veniunt omnes sine discrimine graduum, vt adeo & filius & nepos, & pronepos, modo apti sint negotio iustæque artis, pro patre Auo aut proauro comparere possint. Itidem quoque hic descen-

A 3

den-




dentes masculini sexus requirimus ex eadem, quam §. 3. alle-  
gauimus, causa.

1) cit. l. 35. ff. de procurat.

#### §. IV.

Succedunt *Collaterales*, at non omnes, sed solummodo ii, qui sunt intra gradum secundum juxta computationem Civilem. Nam ius Romanum 1) nominatum solum *fratribus* hoc ius tribuit, soli ergo fratres de iure Civili sine mandato admittuntur. Non ignoro Dd. vulgo, & alios quidem ad gradum vsque tertium 2), alios ad gradum quartum 3) imo alios ad gradum decimum vsque, quia eo vsque porrigitur successio, 4) reliquos etiam cognatos admittere, sed horum sententia tuto non flatur, cum in materia iuris singularis versemur, quod ne quidem ex paritate rationis proferri potest. Aliter vero res se habet *jure saxon.* 5) secundum quod decisum est, ut collaterales ad tertium gradum vsque inclusiue, siue ad quartum vsque consanguinitatis gradum exclusiue, vti alii rem exprimunt, admitti debeant. Id vero ex dictis per se intelligitur, sub nomine fratrum non venire *compruignos*, licet se inuicem fratres salutare soleant, nam nulla inter eos neque cognatio neque Affinitas est. Neque opus est hic denuo repetere sexum masculinum hic semper supponi, adeoque e. g. sororem pro fratribus in iudicio comparare non posse, nec licet cautionem de rato facere velit admitti, sed potius in tali casu pronunciarci solet: Dass die angebotene Cautio Rati nicht statt habe, sondern es seyn Beklagte wegen ihres Bruders sich anderergestalt und besser als es geschehen zu legitimiren schuldig 6).

1) in



- 1) in dict. l. 35. ff. de procurat.
- 2) CARPOV. P. I. const. 2. def. 29.
- 3) STRYK. Annot. ad Compend. Lauterb. tit. de procurat. p. 133.
- 4) SICHARD ad l. 12. n. 6. C. de procurat. BERLICH p. I. Concl. 14. n. 38. quos recte refutat VMMIVS ad process. disp. 3. num. 32.
- 5) Ord. Proc. Saxon. tit. 7. verb. desgleichen seithalb die Blutsverwandten bis in 3ten Grab inclusiue &c.
- 6) RIVIN. ad O. Proc. tit. 7. Eniac. 7.

§. VII.

Ad *Affines* accedimus, quos *VLPIANVS I*) inter eos quoque nom' nat, qui pr̄sumto mandato gaudent. At cum generaliter solum affines commemoret: iterum Dd. disputant qui sint illi affines, de quibus ius Ciuale loquitur. Nonnulli illos tantum affines admittunt, qui parentum liberorum in loco inuicem sunt. Alii contra affines in linea collaterali etiam ad tertium vsque gradum inclusiue admittunt. Sed verior est, quæ inter has sententias media est, scilicet affines in eodem gradu, quō consanguinei, admitti adeoque eos solum qui sunt in gradu secundo linea ascendensis & transuersalis. 2). Sic enim Affinitati non plus tribuitur quam Cognitioni, sed nec minus tribuitur, & dum fratri pro fratre in lege nominatim datur facultas agendi, argumento legis & eos affines, qui sunt fratris loco, vi pr̄sumti mandati admitti æquum est. Ita de jure Ciuali. At Saxones ne quidem inter omnes affines, qui sunt in linea recta mandatum pr̄sumunt, sed de solo *socrero* & *genero* dispositionem iuris Rom. acceperunt, 3) quibus pro se inuicem ex mandato



dato præsumto agere permiserunt. In *Ordinatione* tamen *Processus Recogn.* 4) his modo memoratis personis etiam *Vitriacus* & *priuignus* additi sunt, qui pro se inuicem durante *affinitatis vinculo* admittuntur.

1) in dict. l. 35. de procurat.

2) LAVTERBACH Colleg. pante<sup>t</sup> tit. de procurat. §. 22. STRYK.  
Vs. Mod. ff. cod. tit §. 46. BEYER posit. ad ff. cod. tit. pos.  
94 - 97.

3) Ord. Proc. Saxon. tit. 7. §. 2.

4) tit. 7. §. 3.

### §. VIII.

Dum §. antec. obseruauimus, *Ordinationem Proc. Sax.* *Recogn.* effectum Affinitatis intuitu mandati præsumti *durante affinitate* solum agnoscere: in mentem venit quæstio de iure Civili etiam per Dd. motæ: an soluto affinitatis vinculo præsumtum mandatum adhucdum vigeat, & sofer e. g. pro genero etiam mortua huius vxore admittendus sit? Nolumus breuitatis studiosi diuersas Dd. sententias recensere, quas in compendio exhibet BEYER 1) sed accedere non dubitamus negantium sententia ob regulam, quæ vult: affinitate per solutum matrimonii vinculum extincta, extingui etiam effectus ciuiles, qui ab ea dependebant 2). Quæ sententia etiam BERLICHII 3), STRYKII 4) WERNHERI 5) aliorumque practicorum auctoritate firmatur.

1) in posit. ad ff. tit. de procur. pos. 97. 98.

2) quæ fundata videtur in l. 3. §. 1. ff. de postulando & l. 43. in f. ff. de procurat.

3) p. I. Conclus. 14. n. 49.

4) in Vs. Mod. tit. de procur. §. 47.

5) P. II, Observ. 381, & P. VII, Obs. 31.

### §. IX.



§. IX.

De *Libertis* quos etiam Vlpianus 1) inter eos recenset, qui pro patronis suis sine mandato comparere possunt, dicere supersedemus, cum ille singularis nexus, qui iure Rom. inter patronum & libertum erat, & ex quo hæc etiam iuris dispositio proflaxit, in Germania ignoretur, & seruorum etiam manumissorum apud nos alia prorsus ratio sit ac conditio, nec proin huius presumti mandati applicatio in Germ. esse possit.

1) l. 35. ff. de procur.

§. X.

Sequitur ergo *Maritus* 1), qui vxoris lites sine manda-  
to vi presumti mandati administrare potest. At quales li-  
tes, & super quibus bonis vxoris, intelliguntur? In hac  
questione decidenda distinguimus inter Ius Rom. Ius Germ.  
& mores hodieros, & denique ius Saxon. Elect. nouum.  
Quoad ius Romanum iterum bona vxoris dotalia ab aliis,  
quaꝝ prater dotem habet, separamus. Et de dotalibus qui-  
dem lis non est. Intuitu horum quippe maritus, vt Do-  
minus, iure proprio & suo nomine agit & vxor ne agendi  
quidem ius habet, vnde hic mandato non opus est, & for-  
mula: Curatorio nomine meiner Cheſfrauen fruſtranea foret.  
2). Sed de ceteris bonis præter dotem lis est inter Dd. &  
ipſe leges hic sibi contradicere videntur 3). Vulgo cum  
Glossographis hæc bona in paraphernalia quaꝝ nempe marito  
eiusque custodiæ tradita sint, & receptitia quaꝝ sibi propriæ  
que custodiæ retinuit vxor, distinguunt, & quoad illa mari-  
tum administratoriem legitimum faciunt, eumque adeo sine  
cautione Rati admittunt, eoque detorquent l. vlt. C. de pac*t*.

B

Con-



*Conuent.* quoad hæc, scil. receptitia, vero, eum pro vxore vi  
præsumti mandati, adeoque sub necessaria Cautione Rati ad-  
mittunt, huque l. 21. C. de procurat trahunt. 4) Verum  
cum dudum summi ICTi demonstrauerint, de iure Romano  
distinctionem bonorum vxoris in paraphernalia & receptitia  
commentitiam esse 5), & parapherna cum receptitiis plane  
eadem esse, & verbo solum inuicem differre, cum omnia  
bona, quæ vxor Romana habet, aut dotalia sint, aut præter-  
dotalia, quæ appellatione latina receptitia, græca parapherna  
adpellantur: huic distinctioni accedere non possumus, præ-  
sertim cum & alii 6) recte obseruarint, dictam l. vlt. C. de  
pact. conuent. de speciali casu, nempe de nominibus sine cau-  
tionibus feneratitiis agere, nec proin in vniuersum ad om-  
nia præter-dotalia bona trahi posse. Nostra ergo sententia  
hæc est: Maritus de iure Rom. intuitu omnium bonorum,  
quæ prater dotem sunt, tanquam pro uxator vxoris præsum-  
tus, aliter non quam sub Cautione rati admittitur, secun-  
dum regu' am, quæ est in l. 21. C de procurat. si vero vxoris pa-  
rapherna bona quæ mariti custodiz commisit in ipsis pactis  
dotalibus, in Nominibus consistunt, tunc maritus vi l. vlt. C.  
de pact. enq. qua instar exceptionis hoc ita dispositus, etiam  
sine Cautione rati admittitur, forte propter similitudinem rei  
dotalis, quæ in tali specie obvia est. Certe in hac circum-  
stantia propior mihi huius dispositionis ratio latere videtur,  
quam in illa, quam VNMIVS cit. l. vrget, nempe quod earum  
rerum maritus legitimus administrator sit. Quod prorsus fal-  
sum puto, primo quia administrationem ab uxore ipsa & non  
a lege habet, eamique secundo tamdu solum, quamdiu vxor  
vult, sicuti & tertio in ipsa lege vxori conceditur actiones  
moue-

mouere & nomina exigere, non obstante quod marito ha-  
rum rerum custodiam dederit. Quæ omnia manifesto de-  
monstrant, maritum *legitimum* administratorem haud esse.

- 1) l. 21. C. de procurat. l. 3. §. 3. ff. iudic. solv.
- 2) l. 9. C. de Rei Vind. l. 7. §. 3. ff. de iure dot. GAIL. L. I.  
Obs. 133. n. 6. 7.
- 3) nempe l. 21. C. de procurat. in qua dicitur maritus pro-  
curator vxoris *satisdare*, quod negatur in l. vlt. C. de paſt.  
conuent.
- 4) vide VMM, ad Procesſ. disp. 9. §. 7. n. 30. CARPOV. Proc.  
tit. 5. art. 5. n. 30. & Decis. 205. n. 15. STRYK. Vf. Mod.  
ff. tit. de procurat. §. 44. LUDOVICI Doctr. Pandect. cod.  
tit. §. 13. SCHILTER Exerc. 36. §. 66.
- 5) vide HUVER prælect. ff. tit. de iure dotium n. 15. LEYSER  
spec. 302. med. 1. GRUPEN de vxore Romana p. 315-322.
- 6) vt GIPHAN. ad l. 21. C. de procurat. in *Lectur. Altorph.*  
pag. 92.

### §. XI.

Ita de iure Romano. Quoad ius Germ. vero & mores  
hodiernos aliter res vtique se habet. Hoc iure enim ex iure  
Saxon. prisco & iure Romano permisso bonorum vxorio-  
rum tria genera statuta sunt; *Dotalia* quæ eandem ac iure  
Rom. naturam & priuilegia eadem habent. Dein *parapher-  
nalia* iu quibus vxori dominij, & marito *vlusfructus* &  
administratio conceditur, qualia regulariter omnia bona  
præter dotem sunt, nisi inde ante matrimonium initum re-  
cepta sint. Denique *receptitia Spillgelder*, quorum & pro-  
prietas & *Vlusfructus* & administratio penes solam vxorem  
est, qualia sunt, quæ vxor tempore sponsaliorum, ante quam  
marito per consummatum matrimonium ius quæsitus in



omnia vxoris bona est, sibi expresse reservauit. Hocposito dicendum est, extra Saxoniam Electoralem (vide §. scq.) & vbi hæc triplex bonorum vxoriorum partitio obtinet, quam pro vniuersali Germania consuetudine habet Leyser 2), maritimi nomine *dotalium* & *paraphernalium*, quia in illis dominium, in his administrationem & vsumfructum habet, atque adeo rem suam agit, absque Cautione; intuitu *receptitiorum* vero, in quibus nomine proprio non agit, nonnisi sub cautione rati admittendum esse 3). Confirmatur hoc exinde etiam, quia Dd. maritum, tanquam legitimum administratorem bonorum paraphernalium actus speciale mandatum requirentes expedire permitunt, & in specie vxoris nomine solutionem exigendi & debitorem soluentem liberandi potestatem tribuunt sine ulteriori legitimatione 4).

1) quod latius perséquitur LEYSER spec. 302. med. 1. & 2.

2) in cit. specim. 302. med. 10. vbi etiam plures testes adci-

tat.

3) ita accipio de vnu hodierno Doctores e. g. LUDOVICI in Doctr. Pand. tit. de proc. §. 13. VMMIVM Disp. ad proc. 9. §. 7. n. 30. GAIL. L. I. Obs. 133. n. 5. STRYK. VI. Mod.

tit. de procurat. §. 44.

4) RIVIN, ad O. P. Sax, tit. 8. Enunc. 14. WERNHER p. I. Obs. 258.

## §. XII.

*Superest ius Sax. Electorale.* Secundum hoc ius antea indistincte neque de dotalibus, neque de paraphernalibus, neque de receptitiis vxoris bonis maritus in iudicio experiri poterat, nisi vel Curatore adhibito, vel cautione rati præstata 1). Nunc vero maritus, neglecta prorsus distinctione inter

ter bona dotalia, paraphernalia, & receptitia, semper citra cautionem admittitur 3), in actibus speciale mandatum haud requirentibus, id quod per se ex *præsumto* mandato fluit, ut infra (§. 18.) videbimus.

1) Ord. proc. Sax. Vet. tit. 8. §. 2. NICOLAI in Proc. p. I. c. 7.  
n. 38. CARPOZOV. tit. V. Proc. art. 57. n. 30. seq.

2) Ord. proc. Sax. Recogn. tit. 8. §. 1.

§. XIII.

Iam quæstio exsurgit: Vtrum sicut maritus pro vxore, ita viciissim & vxor pro marito cum cautione rati admitti debet? affirmat eam quidem BERLICH 1), si modo in saxoniam Curatoris ad litem auctoritas accedat. Sed rectius alii 2) negant, quia feminæ pro aliis legitimam personam in iudicio standi non habent. Et leges 3) nostræ dicunt: vxorem a viro defendi, non autem virum ab uxore, æquum esse. In eandem etiam sententiam a. 1758. Facultatem Iurid. Erfordiensem pronuncisœ animaduerti. Hæc tamen dicta ad solos actus iudiciales contentiosos pertinent. Negotia vero non contentiosa, etiæ iudicialeiter forte expediantur, vxor in utilitatem mariti suscipere prohibenda haud videtur, quemadmodum in genere procuratio negotiorum (secus ac procuratio litium) munus ciuale ant virile haud est. Ex hac sine dubio ratione impetratio Arresti a sorore pro fratre impetrata pro valida pronunciata est teste RIVINO 4), nempe quia illa proprie actus iudicialis haud est, sed tantum præparatio iudicij vel actionis deinceps instituenda, nec speciale mandatum 5) desiderat.

1) L. I. Conclus. 14. n. 48.

2) ut RIVIN tit. 8. Enunc. 8. WERNHER p. 7. Obs. 214. & p. 8. Obs. 255. BERGER El. Discept. for. p. 222.



3) §. 2, I. de Injur.


4) in specim. Except. forens. c. 28. p. 160.

5) WERNHER p. 6. Obs. 332.

#### §. XIV.

Peruenimus nunc ad *Consortes litis* 1), quales sunt, qui in eadem instantia, coram eodem iudice, & ex eadem causa vel agunt vel conueniuntur, & pari iure gaudent 2). Siue ut CVIACIVS in *paratitl.* Cod. b. t. definit, quorum communis est res in iudicium deducta. Non ergo omnes, qui aliquando in sensu aliquo latiori consortium nomine veniunt, veri sunt litis *consortes* & effectibus litis *Consortii* gaudent, neque hoc litis *Consortium* assimilatur ex quali quali interesse & commodo, quod in re, de qua lis est, alteri per consequentiam competit: sed requiritur *negotium commune* 3) id est lis communis, siquidem negotium in citata lege aperte pro *lite* sumitur, & alibi etiam in hoc significatu 4) occurrit. Quale negotium commune est inter socios, plures fideiussores, & Coheredes 5). Quæ cum ita sint, dubito an pro litis *Consortibus* indistincte haberi cum WERNHERO 6) possint illi, qui *accessorie* interueniunt. Nam licet hi ad item animo alterutri litigantium in iudicio adiustendi acedant, habent tamen ius agendi, & liti sese immiscendi plerumque plane diuersum a iure litigantium principalium, eorumque ex alia & diuersa causa plerumque interest, adeoque per se litis *Consortibus* proprie talibus adgregari nequeunt, licet quandoque fieri possit, vt etiam verus litis *Consors* interueniat, e. g. si ab initio litis tacuit, postea autem melius forte informatus ad item accedere velit. Qui vero *principaliter* interueniunt, cum habeant animum excludendi alterutrum litigantium vel vtrum-

vtrumque, adeoque separato ac distincto iure nitantur, prorsus pro litis Consortibus haberi non posse per se patet. Sicut etiam nullo negotio perspicitur, Curatorem feminæ, quæ cum aliis causam communem habet, pro his absentibus litis Consortibus non admitti posse, etiæ captionem rati facere paratus sit. Nam cum Curator tantum sit, nec eum lis adeo tangat, pro litis Consorte haberi nequit, vt iudicatum refert WERNHER 7). Vtrum vero etiam, si integra Vniuersitas in lite est, singula membra illius Vniuersitatis, tanquam litis Consortes, sine mandato admitti debeant? plus dubitationis habet, & inter Dd. ambiguitur. Sunt qui absclisse affirmant 8), sunt etiam qui absclisse negant, eo quod VLPIANVS 9) expressis verbis dicat: si quid Vniuersitati debeatur, id singulis non deberi, nec quod debeat Vniuersitas, singulos debere. Pro litis Consortibus ergo membra Vniuersitatis haberi non posse contendunt, quia non singulorum communis sit res in iudicium deducta, & ita & Facultatem Iurid. Lipsiensem teste MENKENIO 10), & Facultatem Iurid. Erfordiensem a. 1758. iudicasse memini. Sunt denique alii Dd. qui distinctione hanc questionem absoluunt, & in casu, si causa singulorum utilitatem vel damnum concernit, vt puta si questione sit de pascuis communibus, de iure piscandi aut aliis, singula membra tanquam litis consortes admittunt; in casu vero, quo causa integrum Vniuersitatem qua taliter concernit, vt si de Jurisdictione, iure patronatus, aut alio Ciuitati competente agatur, singula membra sine mandato repellunt 11). Atque hi ad leges supra citatas, ne iis obstant, respondent, eas de proprietate rerum ad Vniuersitatem pertinen-



tinentium agere, quam utique singulos vindicare sibi non posse, at vero hic agi solum de iis iuribus, quae Vniuersitatis quidem sint, sed ex quorum tamen usu & exercitio singuli emolumenta capiant. Licet ergo hic non versetur negotium commune *ratione proprietatis*, versari tamen negotium commune *ratione usus*, id quod sufficiat, cum l. vlt. C. de *Consort.* eiusd. lit. in genere negotium commune desideret, 12) Et his accedere & nos non dubitamus.

- 1) l. 2. C. de *Consort.* eiusd. lit.
- 2) vide MENCK. ad process. tit. 7. §. 11. MARTINI in Process. tit. 7. §. 2. n. 100. CARPOV. in Proc. t. 5. art. 6. num. 50.
- 3) per cit. l. 2. C. de *Consort.* eiusd. lit.
- 4) vide l. 3. C. de in item dando tutori. l. 3. C. de fructibus & litium Expens.
- 5) de his res est decis a in l. 5. §. 1. ff. iudicatum solui.
- 6) p. 6. Obseruat. 261.
- 7) p. 7. Observ. 21. adde RIVIN. tit 7. Enunc. 15.
- 8) vt CARPOV. Decis. 205. & in Process. tit. 5. art. 6. n. 62. ERVNNEM, ad Rubr. tit. ff. quod cuiusc. Vniuers. nom.
- 9) in l. 7. §. 1. ff. quod cuiusc. Vniuers. adde l. 6. §. 1. ff. de Rer. Diuis. ad has LL. prouocant BERGER in Resolut. Luterb. p. 90. n. 3. KLOCK. Vol. III. Consil. 153. n. 89. SCHVENDEND. ad Fibig. p. 242. MARTINI in Proc. t. 7. §. 2. n. 102. &c.
- 10) in Iuris Controversi Decade I. Controv. 2. in et. *Dissertat.* Collectione pag. 824.
- 11) STRYK. Vs. Mod. eod. tit. §. 7. BEYER posit. ad ff. tit. de procurat. pos. 101. 102. LEYSER Spec. 10. med. I.
- 12) vide prater cit. LEYSER, RIVIN. in Specim. Except. for. c. 7. n.



7. n. 30. & in Enūciat. tit. 7. En. 13. vbi præjudicia ad-  
ducit,

§. XV.

Eiusmodi consortibus litis ergo pro se inuicem sine  
mandato comparere concessum est. Cuius ratio in conne-  
xitate causa consistit, cuius tractatio sine incommodo di-  
strahi non potest. Sed quando, utrum ante vel demum  
post Litis Conteslationem, id fieri possit? iterum a Dd. dis-  
ceptatur. Qui cum Accursio posterius affirmant, & sic post  
L. C. demum, vbi iam ab omnibus lis contestata est, eos vi  
præsumti mandati admittere volunt 1), prouocant ad verba  
l. 2. C. de Consort. eiusd. lit: post litem legitime ordinatam, inde-  
que sua sententia firmamentum quarunt repetuntque vni-  
ce. Sed cum aliud sit ordinare litem, i. e. præparare & con-  
stituere personam Actoris & Rei & iudicis, aliud litem conte-  
stari ut dudum docuit CVTACIVS 2); patet legis verba memora-  
ta frustra in hanc sententiam citari, & verior adeo eorum  
sententia est, qui Consortem pro ceteris consortibus etiam  
lite nondum contestata comparere posse adstrinunt præsertim  
cum regulariter ante Litem Contest. satisdatio rat habitio-  
nis a quasi procuratore exigi debeat, (§. 21.) Potest tamen  
& post L. C. demum haec cautio tunc exigi, si forte post li-  
tem ab omnibus vel aduersus omnes contestatam, alii abesse  
ceperint, & unus communis nomine rem persequi velit. Il-  
Iud & in Consortibus litis obseruat, ut saltim personæ  
masculini sexus non etiam feminæ pro aliis admittan-  
tur 3).

1) quo in numero sunt LAVTERE, in collegio ff. tit. de procur.  
§. 25. IUDOVICI in Doctrina ff. eod. tit. §. 14. H. PISTOR.  
Obseruat. 145. n. 2.



- 2) in Paratitl. Cod. tit. de Confort. eiusd. lit. quem sequuntur  
PEREZ ad Cod. eod. tit. §. 2. BERLICH p. I. Concl. 14. n. 54.  
BEYER in posit. ff. tit. de procurat. posit. 99. & 100. WERN-  
HER p. I. Obs. 305. n. 82. & 83.

3) vide RIVIN. tit. 7. Enunc. 7.

### §. XVI.

Supersunt, qui *instrumenta ad causam pertinentia penes se  
habent* (§. 2.). In iure Rom. hos inter eos non reperimus,  
qui sine mandato admitti dicuntur. Vnde & quidam Dd.  
cum LAVERBACHIO 1) prorsus negant, ex possessione in-  
strumentorum praesumti mandatum, at cum tam ius Canon.  
quam Ordinat. Cameralis citatis supra (§. 2. n. 2.) locis illo-  
rum sententia oblet, affirmatiua cum aliis 2) accedimus,  
in primis si sit procurator ordinarius qui producat haec in-  
strumenta, cum temperamento tamen, quod in ipsa Ordina-  
tione Camer. li adhibetur, ut nempe talis quidem in præpa-  
ratoriis iudi iorum & ab initio liti. sub Cautione Rati ad-  
mittendus sit, sub conditione tamen, ut in progressu litis &  
ratificationem ante actorum & expressum ad totam causam  
Mandatum procuret & exhibeat. Quod nisi fecerit, expen-  
das & damnum litis de suo præstare cogitur, & ad ulterio-  
rem in causa processum non admittitur. Quod LEYSERVUS  
3) etiam commendat temperamentum.

1) in diff. de procuratore in rem suam §. 41.

2) vide BRVNNEMAN ad l. 1. C. de procurat. GAIL. L. I. Obs.  
133. n. 4. MEV. p. 3. Dec. 23.

3) in specim. 53. meditat. 3.

### §. XVII.

Habuimus personas, quæ mandato præsumto gaudent,  
sed cum, ut tale mandatum pleno gaudeat effectu, & ut perso-

na

nam recensitæ vi illius valide agere possint, alia quædam requirantur; de his requisitis etiamnum agere necesse est. Vulgo Dd. quatuor 1) desiderant circa hoc mandatum præsumtum a) ut Principalis non contradicat, vel alium procuratorem expresse constitutum habeat, b) ut non adsit tale negotium, quod speciale mandatum requirat, c) ut Principalis per se habilis sit, ut expresse mandare possit, d) ut Cautio de Rato præstetur. De singulis nonnulla obseruabimus.

1) vide Lvovici Doctr. ff. tit de procurat. §. 16.

§. XVIII.

Quod ad primum attinet, ex natura præsumti mandati hoc iam intelligitur, hanc præsumptionem contraria voluntate eius, pro quo interuenire volunt eiusmodi quasi-procuratores elidi. Contra voluntatem Principalium ergo experiri nequeunt, ne quod in horum fauorem introductum est, in eorum odium retorqueatur, & nemo se alienis rebus iuvito domino inimiscere debet. 1). Idemque & VLPIANVS 2) expresse ait, additque in his personis, in quibus mandatum non exigimus, non quidem desiderari, ut habeant voluntatem eorum, pro quibus interuenire volunt, i.e. admittuntur, siue sciat coniunctus procuratoris suam causam agi, siue non: sed id desiderari, ut contraria voluntas non adpreat, id est: de dissensu eorum, pro quibus agere volunt, conflare non debet.

1) l. 36, ff. de Reg. Iur.

2) in l. 40. §. fin, ff. de procurator.

§. XIX.

Alterum quod attinet, ratio quare hoc ius agendi ex præsumto mandato non procedat in iis actibus, qui speciale

C 2

man-



mandatum requirunt, est quia mandatum præsumptum gene-  
rale solum habetur, iam vero cum ne is quidem qui gene-  
rale expressum mandatum habet, ad ea admittitur in quibus spe-  
ciali mandato opus est, non potest certe præsumptum man-  
datum plus operari. Accedit quod hic vertitur præjudici-  
um tertii, scil. eius, cum quo agitur, & qui oneratur, dum  
Actorem sine mandato admittere cogitur, ut proin hoc ius  
singulare magis restringendum, quam extendendum sit. Spe-  
ciat huc l. 27. ff. de Minor. ubi consanguineus, patre excepto,  
sine speciali mandato non potest petere restitutionem in in-  
tegrum pro Minore consanguineo laeso, proinde in illis quæ  
speciale Mand. desiderant, non admittuntur nisi speciale man-  
datum proferant 1). Hinc maritus defensorio nomine vxo-  
ris neque iusiurandum parti aduersa deferre, neque docu-  
menta recognoscere potest 2), quia ad utrumque peragen-  
dum speciali mandato opus est, cuius defectum cautio rati  
non supplet. Hinc quoque maritus vi huius cautionis de  
Rato nomine vxoris transfigere valide nequit, quia transactio  
speciale mandatum desiderat 3). Neque reassumto litis  
propter eandem causam a præsumpto procuratore fieri po-  
test 4), sicuti nec solutionem a debitore condemnato is exi-  
gere & recipere valet 5).

1) CVIACIVS ad cit. l. 27. ff. de Minor.

2) WERNHER p. I. Obs. 323. & p. 6. Obs. 426. RIVIN. in spe-  
cim. Except. for. e. 7. n. 16. & 18.

3) WERNHER. p. 6. Obs. 358.

4) WERNHER p. 7. Obs. 128.

5) BRYNNEMAN adl. 35. ff. de procurat. WERNHER p. 9. Obs. 216.  
§. XX.

Quantum ad tertium, vulgo quidem Dd. hanc qualita-  
tem

tem Principalis desiderant, & adeo neminem pro pupillo, Minore, feminis in Saxonia, aliisque personis per se ad mandatum & ratihabendum inhabilibus admittunt 1). Absurdum enim esse, dicunt, aliquem admitti pro ea persona, quæ ipsa per se legitimam standi in iudicio personam non habeat. Sed qui ita sentiunt, hi fere mandatum tacitum, de quo hic non agitur, cum præsumto confundunt. Quamuis enim certum sit, eum qui expresse mandare non potest, nec taceat mandare posse: aliter tamen res se habet in mandato, quod per leges præsumitur adesse. Et quamuis lex in negotiis pupillorum, & minorum tutorem curatoremque pro forma exigat, si ipsi agant: secus tamen est, si alias pro ipsis vi præsumti mandati agat, cum tali casu pupillus & Minor proprie nullum negotium contrahant, ratihabere vero, quæ ipsorum nomine gesta sunt, cum tutore & Curatore deinceps possint. Quam sententiam ideo & probat WERNHER 2), eamque passim ysu fori, sigillatimque in Saxonia Electorali 3) receptam esse testatur. Nihil ergo secundum hæc dicta interest, siue principalis masculus sit, siue femina, impubes aut pubes, Minor aut Maiorennes.

1) vide LVDOVICI Doctr. Pand. tit. de procurat. §. 16. BEYER posit. 105. eod. tit. HERT. Decil. 518. RIVIN. tit. 7. Enunc. 14. SCHVENDEND. ad Fibig. p. 246. n. IV.

2) P. VI. Obsl. 353. adde Schaumburg Princip. Prax. L. I. sect. I. Membr. 2. c. 2. §. 7. BERGER Eleft. Discept. for. tit. 7. Obsl. 1. not. 5. & in supplement.

3) vide Ordin. Proc. Sax. Recogn. tit. 7. §. 3.

### §. XXI.

Nemo tamen vi præsumti mandati in iudicio admittitur,  
C 3



tur, nisi simul aduersario desiderante caueat, dominum litis ratihabiturum id quod a se gestum erit, quod quartum est re quisitum. Leges ipsæ 1) hoc personis supra recensitatis imponunt, ut de Rato caueant. Alias enim nimis magna inferretur parti aduersaria iniuria, quæ cum tali præsumito procuratore sese committere etiam iniuito debet, & ipsum iudicium elusorium redderetur. Exigitur vero hæc Cautio regulariter ante L. Contest. tanquam exceptio dilatoria 2), nisi post L. C. demum procurator talis interueniat, tunc enim post L. C. etiam peti recte potest. Alias vero *de iure Rom.* hæc exceptio ante L. Cont. omissa post litem contestatam opponi amplius non poterat, cum qui litem contestatus est, videatur tacite remisisse procuratori exceptionem, & si bi imputet, quod quasi-procuratorem sine cautione admiserit 3). Idemque a legibus expressum est in aliis exceptiōnibus procuratoriis, qua duntaxat *inhabitabilitatem personæ*, quod nempe aut procurator quis esse non possit, ut miles aut mulier, aut quod procurator datus sit ab eo, qui dare prohibetur, vrgent & respiciunt, ita ut per L. C. his exceptionibus renunciatum esse censeatur 4). Nec male præterea huius dispositionis ratio in *dominio litis* a nonnullis Dd. 5) quaritur, vi cuius post L. C. e. g. miles procurator litem non amplius ut alienam sed ut suam exercebat, adeoque nunc non magis ab eo, quam ab ipso domino & Principali caprio de Rato exigi poterat. Nec obstat L. 24. C. b. 2. quæ exceptionem legitimatiōnis semper, tam ante quam post L. C. admittere videtur. Nam hæc lex loquitur de exceptione *falsi procuratoris*, de quo probari potest eum nullum aut reuocatum habere mandatum, adeoque sermo in lege citata est de exceptiōne

ne

ne procuratoria, quæ non siltim inhabilitatem personæ, sed defectum ipsius mandati vrget. Hoc enim casu exceptio in quaunque parte iudicii obiici valde potest, quia ea iudicium retro nullum reddit, si que perinde est, ac si nulla fuisset litis contestatio, cum Acta sint nulla, & quia iniquum valde foret aliquem cogere, ut cum tali persona porro litiget. Nec hic Litis Contestatio quidquam operari potest ad excludendam exceptionem, cum deficiant termini habiles dominii litis, utpote quod quidem *litis contestatione*, sed *præsumptivo* tamē mandato *Principalis*, quale hic non adest, adquiritur 6). Quidquid vero eius sit de iure Rom. aliter tamen hodie in iudicis nostris, effectibus domini litis cessantibus, obseruatur, & Dd. diserte testantur, hodie in omni parte iudicii, etiam in ipsa Executione exceptionem legitimatis opponi posse 7), & in specie in nostro casu cautionem de rato etiam si a parte aduersa petita non sit, ex officio a iudice imperari posse 8).

- 1) vide l. 40. §. 3. 4. ff. de procurat. l. 39. eod. tit. l. 8. pr. de Negot. gest. l. 3. §. 3. iudicatum solv. l. 12. & 21. C. de procurat. l. 2. C. de Consort. eiusd. lit.
- 2) per l. 40. §. 4. ff. de procurat. l. 57. §. 1. ff. eod.
- 3) quod & defendant mev. p. 4. Decis. 361. & p. 5. Decis. 31. zoes ad ff. tit. de procurat. n. 16 SICHARD Comment. ad Cod. ad l. 1. C. de procur. n. 3. pag. m. 29.
- 4) videlicet l. 8. §. 2. ff. de procurat. l. 13. C. eod.
- 5) vide SICHARD cit. l. pag. 29. n. 3. BÖHMER de dominio litis cap. 2. §. 22.
- 6) BÖHMER de dominio litis cap. 1. §. 25. 26. & c. 2. §. 22. SICHARD ad l. 24. C. de procurat. pag. 42.
- 7) vide CARPOV. p. 1. const. 1. def. 26. WERNHER p. 6. Observ. 374. BÖHMER de dominio litis cap. 2. §. 22. & cap. 3. §. 16.
- 8) vide Modestin. PISTOR Quest. 144. SCHWVENDEND. ad Fibig. pag. 261. n. 152. RIVIN, specim. Except. c. 7. n. 15.



## §. XXII.

Ratione modi cauendi, maxime quoad usum hodiernum (nam iure Rom. datis fideiussoribus fere fiebat cauio haec, vnde & *satisfatio* 1) audit) notes, non sufficere cautionem in scriptura tantum promittere, sed oretenus mundiūch, & realiter durch wüftl. Angelobniß prästanda, & Registratura defuper ab Actuario conficienda est. Atque is quidem qui immobiia possidet sub hypotheca bonorum de rato cauet; si taliā non possideat, fideiussoribus cauere debet, aut pignoribus in iudicio d. positis 2). Iuratoriam vero cautionem non admittunt Dd. practici 3). Nec sine ratione. Nam licet alias respectu eius, qui in *propria causa* in iudicio comparet, Leges cautionem iuratoriam in subsidium admittant: haec tamen dispositio ad eum, qui in *aliena causa* ex präsumto mandato litigare vult, trahi non debet, cum nulla hunc necessitas hoc faciendi vrgeat. Speciale quid est in *Saxonia Electorali*, quod ibi nemo nisi possessionatus, ad hanc cautionem admittatur 4), quod exemplis & præiudiciis illustrat RIVINVS 5).

1) in l. 21. C. de procurat. & l. 40. §. 3. ff. eod.

2) vide WERNHER p. 6. Obs. 354. CARPOV. ad Proc. tit. 5. art. 6. n. IO. HAHN. ad *Weſenbecc*. tit. de procurat. pag. 240. SCHVENDEND. ad *Fibig*. pag. 251.

3) vide ZANGER p. 2. Except. 8. n. 39. MARTINI in Proc. tit. 7. §. 2 n. 17. 18. SCHVENDEND. ad *Fibig*. p. 252.

4) CARPOV. p. 1. c. 1. def. 29. WERNHER p. 7. Obs. 118. BERGER Elect. Discept. forens. p. 237.

5) ad Ordin. Proc. tit. 7. Enunciat. 12.

## §. XXIII.

Vis autem & potestas huius cautionis präficitur est, tum ut is cui cautum est, exinde agere possit aduersus cauentem, ut ratihabitionem Domini seu Principalis, quam pollicitus est, doceat atque procuret, quo nomine etiam petitioni mandati sub certa

certa pena aduersus procuratorem locus est 1); tum vero maxime ut in casu, quo certum sit dominum iudicium & gesta procuratoris praesumpti rata habere nolle, conueniri possit in id, quod interest eius, qui cautionem accepit, ratum haberit quod gestum est. Pone ergo Titium egisse fratris nomine, partem aduersam vero, contra quam egit, absolutam esse, & fratrem quem negotium principaliter concernit, nunc Titii gesta ratihabere detrectare, sed de nouo (quod facere utique potest, neque enim ad ratihabendum praecise 2) obligatur) aduersus alterum iudicio experiri; aut pone Titium pro fratre actionem exceperisse, sed fratrem condemnatum esse, hunc vero dein iudicato parere recusare: dicendum est Titium parti aduersa ad expensas & in omne id quod interest, teneri 3). Quae sententia in ipsis legibus fundata est 4), contra quas expressas leges Dd. quorundam dissentientium rationes ex natura promissioni facti alieni petitæ, quasi cauens cum saltim promiserit, se effecturum ut alter ratihabeat, exceptione adhibita diligenter a præstatione eius quod interest, se liberare possit 5), nihil valere & efficere possunt. Hac quoque admissa sententia integrati & vigori iudiciorum consulitur, cum alias per collusionem defensoris & defensi fieri facile possit, ut cautio rati nunquam effectum sortiatur, & potius iudicium retro elusorum reddatur. Sed sunt tamen, qui sic sentiunt, iterum in duplice differentia. Alii statuunt, cautione rato simul virtualiter inesse cautionem iudicatum solui, adeoque si e. g. defensus per sententiam in certam summam condemnatus fuerit, isque Defensoris sui gesta rata habere nolit, contra Defensorem sive quasi-procuratorem statim sine novo processu Executionem decerni posse, eumque simpliciter summam iudicato comprehensam soluere cogendum esse 6); alii vero conditionem Principalis defensi & condemnati ante omnia spectandam esse volunt, ita ut si is soluendo sit, defensor etiam iudicatum soluere obstrictus sit; sin soluendo haud sit, ni-



Hil etiam a quasi-procuratore exigi possit, quia licet Principalis omnia defensoris gesta ratihaberet, Aucto tamen frustra solutionem ab ipso in hoc ultimo casu exspectarer, adeoque iniquum foret, defensoris obligationem ampliorem, quam ipsius Principalis facere, & parti aduersae sufficere debet, si tantum consequatur, quantum habuisset, si de Rato causa ab initio mandato instruetus fuisset.

- 1) vide M E V. p. 4. Decif. 365. SCHVVENDEND. ad Fibig. pag. 258. & 259.
- 2) perl. C. quib. res iud. non nocet.
- 3) vide omnino WERNHER p. 1. Obs. 147 & BERGER Elec. Discept. for. p. 234. 235. adde MYNSINGER Centur. V. Obs. 49. M E V. p. 4. Decif. 365. & p. 7. ZIEGLER ad Ord. Proc. tit. 7. verb. in consortibus eiusd. litis. VENN. ad § 3. 1. de inutil. stipul. n. 2. RIVIN. tit. 7. ERING. 16.
- 4) inl. 1. 3. & 10. ff. rem ratam hab. adde arg. ex Ord. Cameral. p. 1. tit. 21. §. 2. & exempla pete ex l. 3. in f. 1. 4. 8. §. vlt. 1. 18. ff. rem ratam hab.
- 5) ita sentiunt DACHOV ad T7 II. disp. 2. th. 2. lit. C. & H. LAVTERBACH diff. de Cautione rati (Vol. III. Dissert. 5.) §. 40. BRUNNEM. ad l. 13. & 19. ff. rem rat. hab. BERLICH p. 2. Decif. 234. BERGER in Resolut. Lauterb. pag. 88. qui tamen in Elec. Discept. for. sententiam mutauit.
- 6) VSCHVVENDEND. ad Fibig pag 257. seq. CARPOV in Proc. tir. 5. art. 2. n. 44. SCHILTER Exerc. X. th. 60.
- 7) vide quos n. 3. citavi, in primis WERNHERVM & BERGERVM.

#### S. XXIV.

Solet tamen plerumque iudex utiliter in Praxi, dum super Cautione Rati pronunciat, simul certam summam comprehendere, & loco eius, quod interest, determinare 1), quo facto ratihabitione dein non secura noua lis de interesse oriri nequit, sed potius caurio tunc absque ambigibus in commissum cadit, & procurator praesumtus hanc quantitatem expressam, vna cum expensis, alteri loco eius quod interest, dare condemnatur 1). Quem in finem ita pronunciarut: das Jo. Conr. Helsig, wenn er wegen seiner Schwester, Marien Bärwolffin auf 20 thl. hoch Cautionem rati bestellet, immassen zu fordern zu beschreiben, sich zur Noth durft legitimiret. Quod ipsum ut ita hat, in *Saxonia Electorali* expresse 2) iudicibus iniunctum est.

1) arg. l. 8. §. 2. ff. rem rat. hab.

2) in Ord. Proc. Recogn. tit. 7. §. 3. in fin.

## TANTVM.






ERFURT, Diss., 1768/69



86.





Pra. II. num. 6

1768, 3

3

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**PERSONIS EX MANDATO  
PRAESVMTO  
IN IVDICIIS AGENTIBVS**

QVAM  
AVSPICIIS DIVINIS  
INDVLTV ET AVCTORITATE ILLVSTRIS  
ICTORVM ORDINIS  
IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENS  
PRAE SIDE  
MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE  
MODO FACVLTATIS IVRIDICÆ  
DECANO

*P. 411*

**DN. RVDOLPH. CHRIST. HENNE  
ICTO**

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-  
SILIARIO REGIMINIS ORD. ICTORVM ET IVDICII ELE-  
CTOR. PROVINCIAL. ADSESSORE NEC NON CODICIS  
ET IVR. FEVDAL. PROFESSORE PVBLICO  
ORDINAR.

DIE XXIII. MART. MDCCCLXIX.  
*IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI*  
PRO SVMMIIS IN VTRQVE IVRE HONORIBVS ET  
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME  
CONSEQUENDIS

*PVBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT*  
AVCTOR  
**CAROLVS CHRISTIANVS LOHDE,**

IEH SERA LVSATVS  
CIVITATIS NEOSTADTIENSIS AD ORLAM POLYGRAPHVS,  
IBIDEMQUE IVRIS PRACTICVS,

ERFORDIAE, LITERIS NONNIANIS, ACADEM. TYPogr.

